



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. IV. An, & quo jure matrimonium ratum, per solemnem Religionis
professionem dissolvatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

que à concubitu cum aliis non quasi prohibitum non sit, ne hoc ipsum faciant, sed quia suavius agendo in huius vitii emendatione, maluerunt honestum suadere ut patres, quam severe prohibere & punire ut iudices; consilium enim & monitio utilius interdum dantur, quam præceptum, etiam de iis rebus, quæ cadunt vel possunt cadere sub præcepto.

59. Denum obijciunt loci difficilis à Ambrosio in commentario capitis 7. Epistolæ 1. ad Corinth. ubi dicit non permitti mulieri ut nubat, si virum suum causâ fornicationis dimiserit; licere tamen viro ducere aliam, si dimiserit uxorem adultèram; quia non eadem lege configitur vir quàm mulier, cum vir sit caput mulieris, etque superior, & superior non astringatur eadem lege quàm inferior.

60. Respondent aliqui, hunc commentarium vel non esse Ambrosii, vel ab hæreticis fuisse corruptum. Sed quidquid sit de hoc, ad locum illum responderi potest cum Pontio lib. 7. cap. 32. Ambrosium, vel huius commentarii Authorem, ibi loqui de lege sæculi, non de lege Christi; hoc est, loqui habita ratione legis Julię, suo tempore receptissimæ, quæ permittebatur, aut impune tollerabatur, ut vir dimittens uxorem propter adulterium, duceret aliam, secus autem mulier, quia adulterium à muliere commissum, cum prolem reddat incertam, aliquo modo gravius est. Quod verò Ambrosius talem legem non approbet, nec censcat, virum dimittentem uxorem propter adulterium, posse aliam ducere, constat ex his quæ scribit lib. 1. de Abraham cap. 4. ubi de eadem lege dicit: Nemo sibi blanditur de legibus hominum. Omne suprum, adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid ineam quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii damnatur crimine. Similia habet Laëtantius lib. 6. inlit. cap. 23. Non enim (inquit) sicut publici iuris ratio est, sola mulier adultera est quæ habet alium; maritus autem, etsi plures habeat, crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpore unum, pariter coniungit, ut adulter habeatur quisque compagem corporis in diversa distinxerit.

ARTICULUS IV.

An, & quo iure, matrimonium ratum, per solemnem Religionis professionem dissolvatur?

61. Erasmus in annotationibus super cap. 7. 1. ad Corinthios, docet matrimonium ratum & nondum consummatum, non dissolvi per solemne votum Religionis, cui doctrinæ subscibunt omnes hæretici nostri temporis. Oppositum tamen est doctrina fidei in Tridentino sess. 23. can. 6. definita, subindeq; omnibus Catholicis communis, licet Theologi disputent, quo iure solemnis Religionis professio matrimonium dirimat? & in tres dividantur sententias, Aliqui enim existimant, illud solvere iure naturæ, alii solo iure Pontificio, alii iure divino positivo, concedente Christo tale privilegium statui Religioso. Pro prima sententia stant D. Bonaventura, Richardus, Durandus, Paludanus, Bellarmus, Sylvius, Covarruvias, & alii. Secunda adherent Suarez, Vazquez, Lessius, Coninck, & alii, quos citat &

A sequitur Amicus hic disp. 8. sect. 4. Tertiam amplectuntur Victoria, Dominicus, & Petrus Soto, Bartholomæus, & Petrus de Ledesma, Henriquez, Sanchez, Mæratius, Pontius, & alii, quos illi citant.

§. I.

Triplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primò, matrimonium ratum, nondum consummatum, dissolvi per votum solemne Religionis.

62. Conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino citato, his verbis: Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. Constat etiam ex cap. Ex parte secunda, de conversi. conjugat. ubi Innocentius III. declarat, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari. Item cap. Verum, & cap. Ex publico, eodem tit. Alexander III. idem declarat, conceditque uxori (idem sentiendum est de marito) spatium duorum mensium, intra quod non teneatur consummare matrimonium, sed de ingressu Religionis deliberet, si velit: quo elapso, teneatur conjugem suum reddere debitum, si exigatur. Id etiam longe ante definitur seu declaratur Eusebius Papa & Martyr, ut refertur can. De sponsatam 24. quæst. 2. unde hæc veritas traditio Apostolica creditur, juxta regulam D. Augustini lib. 4. contra Donatistas cap. 24. Quod universa tener Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica autoritate traditum censei debet.

63. Plura etiam in huius veritatis confirmatio, non referri solent sanctorum exempla, qui matrimonio contracto, sed non consummato, sponta relicquerunt, ut perpetuum continentiam servarent, & fierent Religiosi. Sic enim referunt D. Ambrosius lib. 2. de virginibus, & Epiphanius hæres. 78. de sancta Trinitate, Metaphrastes de S. Cecilia, & D. Alexio & Gregorius Magnus lib. 3. dialog. cap. 14. de quadam Gregoria sanctimoniali, cum etiam qui existimant S. Joannem Evangelistam, à nuptiis Cana, à Christo vocatum fuisse ad Apostolatam, Sed hoc minus videtur probabile, quia senim credat, Christum conjuges à nuptiis separasse, tempore quo eas suâ præsentia sanctificare volebat, & contra futuros hæreticos propriâ autoritate confirmare? Licet autem ratio à priori nostræ conclusionis sit sola voluntas Dei, nobis declarata per gentes sanctorum, & communem Ecclesiæ traditionem, congruentia tamen insuper non deest, quam adducit S. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæstionem 2. in corp. ubi sic habet: Dicendum quod ante carnalem copulam est inter conjuges tantum spirituale vinculum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale; & ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem; ita per ingressum Religionis ante carnalem copulam solvitur, quia Religio est mors quadam spiritualis, quæ aliquis sæculo moriens, vivit Deo.

64. Alii huiusce rei aliam afferunt congruentiam, dicentes quod per Religionis professionem fit transitus ad meliorem statum. Sed hoc parum probat, siquidem professio Religiosa est transitus

Dddd 3

tus

tus ad meliorem statum, quam sit status matrimonii non solum rati, sed etiam consummati, & tamen noluit Deus per votum solenne Religionis dissolvere matrimonium consummatum. Qui suscipit Ordinem sacrum, transit ad meliorem statum. Status Episcoporum melior est, & altior ac perfectior statu Monachorum; & tamen neque per susceptionem sacri Ordinis, neque per assumptionem status Episcopalis, matrimonium inconsummatum dissolvitur.

66 Dico secundò, professio Religiosa non dirimit matrimonium ratum, jure naturæ, seu ex natura & efficacia ipsius voti solennis.

Probatur primò, quia attentà natura rei videtur potius quod matrimonium ratum irritet votum solenne, quam votum solenne matrimonium ratum; nam res uni tradita nequit validè alteri tradi, absque domini consensu: Sed per matrimonium ratum traditum erat corpus alteri coniugi: Ergo non potest validè tradi Religioni per professionem, quantum est ex natura rei, & citra divinam constitutionem derogantem juri acquisito coniugi, in favorem Religionis, & statuentem ut contractui matrimonii tacitè insit hæc conditio, nisi voluerit ingredi Religionem ante consummationem: quæ conditio non inest ex natura rei.

Secundò, Vinculum matrimonii non est ex natura sua impossibile cum professione Religiosa, cum illud maneat in conjugibus, qui ex mutuo consensu post consummationem matrimonii, Religionem ingressi sunt, & in ea professionem emisissent, ut communiter docet Theologus: Ergo malè asseritur, votum solenne Religionis ex natura sua matrimonium ratum dissolvere.

Tertiò, Si votum solenne in Religione solveret ex natura rei matrimonium ratum, etiam votum solenne in receptione Ordinis sacri, illud dirimeret: Sed hoc est falsum, & contra communem Theologorum sententiam: Ergo & illud.

Quartò, Si votum solenne ex natura sua solveret matrimonium ratum, nondum consummatum, maximè quia est vinculum natura sua perfectius vinculo matrimonii rati nondum consummati: Sed hæc ratio nulla est, & tenet vinculum perfectius vinculo matrimonii etiam consummati, & tamen ipsum non dirimit: Ergo &c.

Demum, Si matrimonium inconsummatum jure naturæ voti solennis dissolveretur, non posset dici jure naturæ insolubile: Consequens est falsum, ut constat ex dictis art. 1. Ergo & Antecedens. Sequela Majoris patet, nequit enim res dici natura sua incorruptibilis, si habeat naturalem causam, à qua dissolvi possit: Unde sicut si matrimonium ratum ex natura rei dissolveretur per supervenientem fornicationem, non diceretur ex natura insolubile, ita nec talis dici poterit, si jure naturæ voti solennis dissolvatur.

Dico tertiò, matrimonium ratum non dissolvitur per professionem Religionis, solo jure Pontificio, sed jure divino, seu auctoritate Christi, in favorem Religionis dispensantis in lege naturæ, & in lege Evangelica de matrimonii insolubilitate.

67 Probatur: Si matrimonium ratum & consummatum dissolveretur solum jure Ecclesiastico, per votum solenne Religionis, id fieret in quantum Papa vel Ecclesia dispensaret in lege naturali & Evangelica de matrimonii insolubilitate: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, matrimonium enim ratum, etiam

A inconsummatum, est insolubile jure naturæ, & jure divino supernaturali in lege Evangelica, ut articulo primo ostensum est. Minor vero probatur primò ex illo Christi Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Nec dicas, hoc veritatis solum debere de matrimonio consummato. Contra enim est, quod non solum de matrimonio consummato, sed etiam inconsummato verificatur prima pars propositionis Christi: *Quod Deus conjunxit*: Ergo etiam tam de matrimonio inconsummato quam consummato debet verificari secunda pars, nimirum *homo non separet.*

Secundò probatur eadem Minor: Nullus præter Deum potest efficere ut matrimonium ratum inconsummatum non dissolvatur per professionem Religiosam, ut fecerunt omnes: Ergo nullus etiam præter ipsum potest efficere ut peccatum solvatur.

Tertiò, Papa vel Ecclesia non potest dispensare in his quæ sunt de jure naturali, & multò minùs in his quæ sunt de jure divino supernaturali, ut major pars Theologorum docet; & quamvis plures ex Recentioribus id negent, existimantes posse Pontificem in aliquibus quæ sunt de jure divino & naturali dispensare, non per potestatem quam habet ex se, sed specialiter sibi à Christo communicatam, ob publicum bonum Ecclesiæ; tamen hoc valde dubium & incertum est: Sed dissolutio matrimonii rati per professionem Religiosam, cum sit res certissima & de fide, debet reduci in causam certam: Ergo non debet reduci in solam potestatem Ecclesiæ vel Summi Pontificis, dispensantis in matrimonio in dissolubilitate.

Confirmatur: Licet daretur posse Summum Pontificem in aliquibus casibus extraordinariis dispensare in his quæ sunt de jure naturali & divino supernaturali, tamen incertissimum est, ipsum posse condere legem generalem, per quam deroget his quæ sunt de jure divino vel naturali: Ergo valde incertum est, an possit per legem generalem statuere, ut professio Religiosa dirimat matrimonium ratum, indeque ad hoc recurrendum non est, sed potius ad privilegium à Christo concessum, in favorem Religionis, quod ex traditione habetur, ut constat ex dictis in prima conclusione. Nihil autem Christus id privilegium concedere respectu matrimonii consummati: Primò quia dissolutio matrimonii consummati est injuriola proli & uxori. Secundò, quia vinculum matrimonii consummati est vinculum carnale, professio autem Religionis, vinculum tantum spirituale. Tertiò, quia matrimonium consummatum significat conjunctionem Verbi Summi humanitate, quæ omnino insolubilis est.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò contra primam conclusionem: Matrimonium consummatum & inconsummatum, cum sint ejusdem speciei, habent easdem proprietates: Ergo cum una ex illis sit insolubilis, matrimonium sive consummatum sive inconsummatum insolubile esse debet: Unde indeque fieri vinculum matrimonii consummati non solvitur per votum solenne Religionis, ita nec vinculum matrimonii inconsummati.

69 Confirmatur: Matrimonium inconsummatum tam bene est Sacramentum nova legis, quam matrimonium consummatum; Ergo non minus representat unionem Verbi cum humanitate, & conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ omnino indissolubiles sunt, subindeque non minorem habet indissolubilitatem, quam matrimonium consummatum; atque ita sicut vinculum matrimonii consummati per professionem Religionis non dissolvitur, ita nec matrimonium ratum per votum solemne solvi potest.

70 Ad objectionem respondeo, concessio Antecedente, distinguendo Consequens: Ergo vinculum matrimonii inconsummati non solvitur per votum solemne Religionis, ex natura rei, concedo. Ex privilegio à Christo concessio in favorem Religionis, nego. Solutio patet ex dictis paragraphis precedentibus; bene enim ostendimus, quod licet votum solemne non habeat ex natura sua vim & efficaciam dissolvendi vinculum matrimonii rati, eam tamen habet ex privilegio Christi, in favorem Religionis deroganti, indissolubilitati matrimonii rati, & dispensantis in lege naturali & Evangelica de matrimonii indissolubilitate, Christus vero concessit illud privilegium quoad matrimonium inconsummatum, potius quam quoad consummatum; tum quia licet per matrimonium inconsummatum uterque conjugum accipit ius in corpus alterius, corpus tamen unus nondum est perfecte translatum in potestatem alterius, quia nondum accepit possessionem ejus corporalem, sed in eam demum inducitur per carnalem copulam & matrimonii consummationem. Tum etiam, quia matrimonium inconsummatum non representat sicut consummatum, perpetuam unionem Christi cum Ecclesia. Unde

71 Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam; licet enim matrimonium inconsummatum tam bene sit Sacramentum, quam matrimonium consummatum, non tamen propterea significat unionem Verbi cum humanitate, & conjunctionem Christi cum Ecclesia; nam matrimonium, quatenus est Sacramentum, non est evehum à Christo ad significandam duplicem Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia conjunctionem firmissimam ac prorsus indissolubilem, nisi ratione consummationis; copula enim carnalis, quæ ex duobus est una caro, exprimit unionem illam, quæ ex duabus naturis humana & divina fit una persona, & ex Christo capite & Ecclesiæ membris, unum mysticum corpus, ut docet Innocentius III. cap. Debitum de bigamis. Itaque matrimonium inconsummatum significat duntaxat conjunctionem Christi cum anima ut sponsa, mediante gratia & charitate; unde cum unio illa sit solubilis, congruum fuit, ut Christus ex speciali privilegio in favorem Religionis, per votum solemne, inconsummatum potius quam consummatum matrimonium dissolveret.

72 Dices, Susceptioni Ordinis sacri annectitur votum solemne castitatis, & tamen per ejus suspensionem non solvitur vinculum matrimonii inconsummati: Ergo nec per votum solemne Religionis.

Sed nego Consequentiam, tum propter specialem dispensationem Christi in voto solemnium Religionis, & non in susceptione sacri Ordinis, declaratam per Ecclesiam, & traditione firmatam. Tum etiam, quia votum continentie non est de essentia Ordinis sacri, sicut est de essentia

professionis Religiosæ, neque mors spiritualis, sicut ipsa, quandoquidem Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, & Episcopi, non videntur paupertatem & obedientiam, sicut Religiosi.

73 Objicies secundò: Nullus potest licite offerre Deo alienum: Sed qui post matrimonium ratum, quamvis nondum consummatum, proficitur solemniter Religionem, offert Deo alienum; per matrimonium enim ratum, quamvis inconsummatum, abdicavit à se potestatem sui corporis, eamque transiit in alterum, & tamen ipsam per votum solemne castitatis offert Deo: Ergo nulla est professio Religiosa in hoc casu, & consequenter falsum est quod per tale votum dirimatur matrimonium ratum, nondum consummatum.

74 Respondeo distinguendo Majorem: Nullus potest Deo offerre alienum, si Deus ipse ad hoc facultatem non tribuat, concedo Majorem: Si facultatem ad hoc tribuat, nego Majorem: Deus autem tribuit conjugum potestatem ut ante consummationem matrimonii possit se luumque corpus, ipsi, etiam altero conjugis invito, offerre ad castitatem perpetuam; quia, ut supra dicebamus, Christus ex speciali privilegio derogat juri acquisito conjugis, in favorem Religionis, & statuit ut contractui matrimonii tacite insit hæc conditio, nisi voluerit Religionem ingredi ante consummationem. Unde traditio corporis quæ fit inter conjuges per matrimonium ratum, non est omnino absoluta, sed aliquo modo conditionata, subindeque illius usus ac perfecta possessio suspenditur per spatium duorum mensium quod Ecclesia concedit conjugibus ad deliberandum de ingressu Religionis.

75 Objicies tertio contra secundam conclusionem: Ipsa ratio naturalis dicitur, licitum esse ab imperfectiori ad perfectiorem statum transitum, nulla tertio injuria illata: Status vero Religionis est perfectior status matrimonii, nullaque per professionem Religiosam ante consummationem matrimonii fit injuria uxori, cum non sit desolata, nec proli, cum ea non possit esse in matrimonio rato & inconsummato: Ergo jure naturali licitum est, à statu matrimonii rati & nondum consummati, ad statum Religiosum transire.

76 Respondeo primò, hoc argumentum nimis probare, quia probat licere jure naturæ amplecti statum Religiosum, non solum post matrimonium ratum, sed etiam post consummatum, cum status Religiosus sit perfectior statu matrimonii consummati. Quod si dicas fieri injuriam proli, & relicte femina, cum jam sit desolata. Contra: quia cessaret hæc injuria, quando non esset proles, & relicta consentiret.

77 Respondeo secundò, hoc argumentum solum probare, manente vinculo matrimonii, jure naturali posse alterum conjugum transire à statu matrimonii rati ad statum Religiosum, per commutationem status imperfectioris in perfectiorem; non probare tamen id posse jure naturæ, per dissolutionem vinculi conjugalitatis: quia vinculum voti solennitatis (ut supra dicebamus) non est incompatible cum vinculo matrimonii etiam consummati, ut constat quando post matrimonium consummatum ambo communi consensu profitentur; valet enim professio, & manet matrimonii vinculum; & quando ante consummatum, ambo simul profitentur, valet professio, & non dissolvitur vinculum matrimonii rati, ut docet D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. hunc.

stunc. 3. ad 1. his verbis: Quando uterque pari voto continentiam voverit, tunc neuter conjugali vinculo abrenuntiat. & ideo adhuc manet: sed quando unus tantum voverit, tunc quantum est in se abrenuntiat vinculo conjugali, & ideo aliter absoluitur à vinculo illo. Unde ad argumentum in forma, dato Antecedente, distinguendum est Consequens: Ergo jure naturali licitum est, à statu matrimonii rati, ad statum Religiosum transire, per dissolutionem vinculi conjugalis, nego. Per commutationem status in perfectioris in perfectiorem, concedo.

78 Dices: Votum solemnne Religionis irritat ex natura rei matrimonium subsequens, ut docet D. Thomas, & ostendemus infra: Ergo similiter dissolvit ex natura rei matrimonium ratum.

Sed nego consequentiam & paritatem: Disparitas est, quod matrimonium sequens votum solemnne Religionis, est traditio homini rei quæ jam erat tradita Deo.

79 Obijces quantum cum Francisco Amico contra tertiam conclusionem: Votum in Religione emissum, non dirimit matrimonium, nisi sit solemnne: At voti solemnitas solâ Ecclesiæ constitutione inducta est, ut ait Bonifacius VIII, cap. unico de voto in 6. Ergo solemnne votum Religionis non dirimit matrimonium ratum, nisi jure Ecclesiastico.

80 Respondeo, concessâ Majori negandâ Minorem, & ad illius probationem dico, quod quando Bonifacius ait, voti solemnitem sola constitutione Ecclesiæ esse inventam, loquitur solum de solemnitate accidentali, & ceremoniali, quæ in professione solemnii ab Ecclesiâ adhibetur, non verò de substantiali & essentiali, consistente in traditione sui ipsius facta in manu superioris, ad servandum illa quæ promittuntur, & in acceptatione quam is facit vice Dei, hæc enim solemnitas est de jure divino, ut fassus ostendimus infra, cum inquireremus, quo jure votum solemnne Religionis dirimat matrimonium subsecutum.

81 Addo quod, quamvis daretur, solemnitem voti sola Ecclesiæ constitutione esse inductam, discursus Amici non valeret; quia licet votum haberet solemnitem ab Ecclesiâ, à solo tamen Deo habere posset, quod matrimonium ratum dirimeret, sicut licet sacramentalia sola constitutione Ecclesiæ inventa sint, illorum tamen effectus, nempe remissio venialium, non ab Ecclesiâ, sed à solo Deo dependet.

82 Quæres primo, an si ante expletum bimestre quod Ecclesiâ concedit conjugibus ad deliberandum de ingressu in Religionem, sponsa vioprimatur à marito, possit adhuc suo jure uti, & ingredi Religionem?

Respondeo affirmativè, quia dolus nemini debet patrocinari, & nullus debet jus suum perdere, ob alterius culpam. Addo quod, matrimonium consummatum cum injuria conjugis, ex Christi institutione non evehitur ad representandam conjunctionem Verbi cum natura humana, aut Christi cum Ecclesiâ, quæ ut summè voluntaria, nequit per violentiam copulam representari: Ergo potest dissolvi per votum solemnne Religionis, sicut matrimonium ratum & nondum consummatum.

83 Quæres secundò, an votum solemnne quod emittunt equites Ordinis Melitenis, dirimat matrimonium ratum?

Respondeo affirmativè, quidquid dicat in contrarium Soto lib. 2. de justitia quæst. 5. art. 3. & in 4. dist. 27. qu. 1. art. 4. Quia per conjugium quæ

A Religionis à Sede Apostolica approbata, solemnem professionem dirimitur matrimonium ratum, ut definit Tridentinum sess. 24. can. 6. At Ordo Melitenis est Religio à Sede Apostolica approbata: Ergo dirimitur matrimonium ratum, per solemnem professionem quæ in eo emittitur. Quod confirmat Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 8. nu. 6. exemplo cujusdam ducis, qui per professionem hujus Ordinis, sapientum consilio, solutus est matrimonio, refertque ex Navaro in statutis hujus Religionis, à Pontifice approbati, haberi, in eam admitti posse quemcumque post matrimonium ratum, non consummatum.

ARTICULUS V.

An & quando matrimonium legitimum & consummatum inter infideles, quoad vinculum dissolvatur, vel dissolvi possit per alterius conjugis conversionem ad fidem, altero perseverante in infidelitate, & male tepacificè, vel sine contumelia Creatoris, habitare cum altero?

Certum est, matrimonium legitimum & consummatum inter infideles, per alterius conjugis conversionem ad fidem, altero perseverante in infidelitate, dissolvi posse quoad habitationem & thorum, ita ut liberum sit conjugi fideli remanere cum conjugè infideli, vel ipsum dimittere, & non cohabitare cum eo. Ut enim dicitur S. Thomas hic quæst. 9. art. 4. in argumento ad contra, adulterium spirituale est gravius quam carnale: Sed propter carnale adulterium potest vir dimittere uxorem, quantum ad thorum & habitationem: Ergo à fortiori propter infidelitatem, quæ est adulterium spirituale. Præterea, ut ait idem S. Doctor in corpore ejusdem articuli, fidelis regeneratur per Baptismum in novam vitam, & moritur priori: qui autem moritur priori vitæ, non tenetur ad ea quæ perfectioni posterioris obstant: Sed obligatio ad actus matrimonii obstat perfectioni Religionis Christianæ, utpote cujus summum statum continentem possident: Ergo infidelis conversus ad fidem, & regeneratus per Baptismum, non tenetur redere debitu conjugis alteri coniugii in infidelitate perseverante, sed potest ab eo separari quoad thorum & habitationem.

Ex quo habes congruentiam, ob quam Christianus conjugem fidem potius ab obligatione cohabitandi cum uxore infideli liberaverit, quam servum fidem ab onere serviendi domino infideli: ut enim ibidem in resp. ad 1. ait idem Doctor Angelicus, servire non est aliquid incompetens Christianæ Religionis perfectioni, quæ maxime humilitatem proficitur: sed obligatio ad actum matrimonii derogat perfectioni vitæ Christianæ, cujus summum statum continentem possident. Præterea, addit S. Doctor, unus conjugum non obligat alteri, quasi dominus servo, per modum societatis, cujusdam, quæ non est congrua, si sit infidelis ad fidem.

Dixi verò, liberum esse conjugi fideli remanere cum conjugè infideli, vel ipsum dimittere, & non cohabitare cum eo, quia licet per conventionem ad fidem, solvatur ab obligatione cohabitandi cum conjugè infideli, potest tamen, si velit, cum